



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117859

§.10. Papa in Longobardia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

Sæcul. VIII.

A. C. 754.

Itaque Chrodegangus & Auctarius Romam pervenientes Papam accinctum itineri, quod ad Regem Longobardorum suscipiebat, invenerunt.

§. X.

Papa in Longobardia.

Nec mora, Pontifex Roma excedit die decimo quarto Octobris, Inciptione septima, anno septingentesimo quinquagesimo tertio multis Romanis, aliarumque urbium civibus inter largos fletus comitantibus, & a proposito dimovere conantibus; cum viderent, quam magno periculo carissimus Pater, mala etiam affectus valetudine, se exponeret. Ipse in Deo confidebat, & gregem suum S. Petri Patrocinio commendabat. Cum jam non longe a Ticino abesset, misit Rex, qui venientem monerent, ne in conspectum admissus petere auderet, ut Rex Ravennam, Exarchatum, aliasve Imperii Civitates a se vel Antecessoribus suis occupatas restitueret. Respondit Papa; nullis comminationibus absterreri se posse, quin peteret. Ubi in Regia fuit, ingentia dona Regi obtulit, instantissime rogans, ut cuique, quod suum erat, restitueret. At Aistulpho id constanter abnuente, cum Legatus Constantinopolitanus idem peteret, juxta Papam nihil obtinuit.

At

At Legati Regis Pipini apud Regem ^{Sæcul. VIII.}
 Aistulphum vehementer instabant, ne ^{A. C. 754.}
 Papam in Franciam profecturum prohi-
 beret. Rei novitatem miratus Aistul-
 phus Papam vocat interrogatque, an in
 Franciam ire serio vellet. Papa inge-
 nue fatente, hanc profectionem animo
 constituisse, Rex admodum offensus, mi-
 sit ex suis aliquos, qui eum secreto a pro-
 posito abstraherent, sed tandem coactus
 est consentire, atque Papa Ticino abiit
 decimo quinto Nov. Indictione septima
 eodem anno 753. Georgio Episcopo O-
 stiensis, Wilcario Episcopo Nomentano,
 Presbyteris quatuor, Diaconis tribus &
 quibusdam aliis Ecclesiæ Romanæ Cle-
 ricis eundem sequentibus. Postquam e
 Ticino jam excessisset, cum sciret, sibi a
 Rege insidias strui, ad Alpes, quæ Italiam
 a Francia dividunt, pervenire, quantum
 potuit, contendit, quas ubi tenuit, Gra-
 tias Deo egit, quod sibi securitatem
 præstitisset.

§. XI.

Papa in Francia.

Iter suum strenue profectus Stephanus
 Papa ad Monasterium S. Mauricii Va-
 lesiorum pervenit, quo Regem Pipinum
 etiam conventurum esse, præstitutum
 fuerat; sed postquam Papa aliquamdiu
 ibi expectasset, adsunt Fulradus Abbas

P 5. Pala-